

Altera proxima.

Alexandri Borgiae Papae VI. anno IIII. die
V. Decembris. M. CCCCLXXXV. Tiberis
ad hoc signum inundavit.

DE TEMPLIS ET SACELLIS IN GENERE.

Templa et Sacella in urbe passim videntur pene innumerabilia. Ex his, quae ex Ethnica vetustate supersunt, singularem habent formam. Pleraque enim rotunda tantum sunt (quanquam et quadrata fuerint quaedam) neque fenestras habent, sed in summo tholo foramen solum rotundum patet, per quod penetrat lux et etiam pluvia. Item unus tantum ad illa est aditus, unaque porta. Unde Var. »Omne templum debet esse continuo septum, nec plus quam unum introitum habere«. Praeterea et hoc templa apud veteres habebant, quod in sublimi condita gradibus ascendebantur, uno Consi excepto. Praedicta omnia hodie videntur in Templo Fauni, Castoris Pollucis, Bachi, Pantheo et pluribus aliis, gradibus tamen non ascenduntur hodie, quod urbs toties repetitis ruinis, incredibilem in modum excrevit, de quibus inferius annotabo. Reliqua templa a nostris olim condita, communem habent formam. Exornata sunt satis, pavimenta tessellatim composita, diversicoloria, maximis orbibus ex marmore porphyretico vel pario hinc inde passim interpositis, et instar speculi relucetibus, maxime apud Salvatorem, ubi et somptuosissimum organum. Columnae striatae per transversum tanquam turno, item pleraeque strias in longum habentes, ex vario genere marmorum, non in templis solum, verum etiam in urbe passim videntur. Potiores autem celebrioresque ecclesiae sunt istae.